

*De sulphure triplici mineralium.*

## CAP. XVII.

**R**ESINA terræ propriè vocari debet sulphur, in quo virtutes innumeræ delitefcunt, in vtraque facultate, crudum tamen in neutra validum. Arcanum solum eius ab impuritatibus vindicatum ac liberum operatur admiranda: lotū prius in albedinem excellentem eam quæ conspicitur in niue, per Isopicam artem. Tam diuerfas virtutes, quàm varias habet origines. Quodlibet enim metallum aut minerale, aliud ab alio sulphur in se continet. Vt suprà diximus ad similitudinem castanearum & nucum, mineralia pariter suis inuolui corticibus, in nucleo tamen præstantissimam latere virtutem, quæ ab externis nutritur & sustentatur; hoc loco de sulphuribus intelligendum intimum illud esse quod præcellit, embryonatum spagiricè dictum ab origine specifica, vt sulphur embryonis auri, lapidis, &c. Sulphur externum in quo latet embryonatum, nobis est minerale. Est & tertium genus, quod ex nucleis mineralium vel metallorū extrahitur, quod non

R